
MAIALE DE CERTO VITAE GENERE DELIGENDO, IACOBI BRASSICÆ ROTERODAMI, EX LOCO CICERONIS,

Lib. de Officiis primo: *Imprimis constituendum est, quos nos & quales esse velimus, & in quo genere vitæ*, ad Gerardum Filium.

Cornelii Schonæi ad Iacobum Brassicam Hexastichon.

Dum natum formare paras, reliquamq; juventam,
Rem literariam juvas,
Laudatumq; probas te sedulitate parentem,
Iuvásq; multos Brassica
Præceptis juvenes; ex quo tibi splendida magni
Orietur aura nominis.






HARLEMI,
Ex officina AEgidii Romanni,
Sub Prælo aurato.

M. D. XCVIII.

CVM animadvertere Lector, vivere nihil aliud esse, quam ad finem currere, præcipuum esse putabam, congruenter naturæ vivere, id est, a virtute moveri, fruique donis a natura datis. Humanæ enim vitæ felicitas ab hoc fine pendet, ad quem pervenire non possumus, ni prius de vitæ genere deliberemus: quippè quam plurimum interest, quibus hîc auspiciis vitam inchoemus; nec quamdiu, sed quam benè vixerimus referat. Itaq; conscribere statuebam, quo pacto ad rectam vitæ viam pervenire liceret, ut quod animi nostri institutum sit, tandem ex his appareat. Locus autem hic noster desumptus est ex Ciceronis primo de Officiis Libro, qui quia difficilior mihi semper esse visus est, pro ingenioli mei modulo volui illum succisivis horis explanare, ac instituere non solum filii, verum etiam aliorum animos, qui hanc rationem, & præcepta volent sequi. Non quod hoc dicendo, unus ego multorum fidei, & authoritati, qui planiùs ac meliùs quàm nos in hac re laborarunt, studeam derogare, sed ea ipsa, quæ a veteribus copiosè inventa sunt; tamquàm in tabellam parvam coner contrahere, aliterque disponere, ad usum filii, animiq; ejus capacitatem; quam potestatem nulli nato vel post mille secula audebit præcludere ulla occasio, nedum bonus ac æquus lector. Porrò Majale materiæ fronti tamquam basi inscribo, quòd sub Majum, hoc quicquid est opusculi prodit. Superciliosos autem istos & crassos, ad vulgi tantùm morem doctos, nil moror; quibus hæc, sat scio, desipere videbuntur, quòd ipsi eadem non intelligant; quorum ego genium ut semper sprevi, ita pro natura spernere numquam desinam. Præmium tantilli laboris justum contigerit, si tibi hoc nostrum studium candide lector placere videbimus. Goudæ, ex Musæo nostro, xxvij. May, Anno xcviij.



MAIALE

DE CERTO VITAE GENERE DELIGENDO, &c.

CAPVT PRIMVM.

Rationem reddit cur ad filium scribat.



I præter tot Philosophorum sententias, prudentiæ atque sapientiæ fons, non veræ illius quam ignorabat, sed humanæ Gerarde fili, Cicero dicat; b.offi.1. imprimis constituendum est, quos nos & quales esse velimus, & in quo genere vitæ, tibi me hercle, vt cæteris aliis, ante omnia, suscipienda mente atq; animo est, longè difficillima illa deliberatio. Etenim humana vita miseriarum ferè dem. plena, suorum maiorum cõsilii imitatione lenienda, ac stabilienda quodãmodo est; ut ob hoc ipsum utiliter egeris & honestè, si tecum consulueris, quo pacto semel hîc tantùm decurrendam, feliciter vitam finias tuam, in quo omnis ejusdem consistit perfectio. Sed quia in te mens, licet iam grandiusculo, quasi modo nata, in eo hæsitare videtur, ordo vitæ ac pietas illa, quàm in me natura excitat, per omnia postulant, ut tibi mecum immensum pelagus ingresso, fidus nauta sim, & vector. Verè immensum pelagus, quod ut traiicias omnino erit laboran-

laborandum: ac iccirco tamquam nauclerus satagere non prius desinam, quam in locum destinatũ transmiserim, quem in fidem meam recepi, & mihi tuendum, sive Natura, sive Deus dedit: te, inquam, loquor filium, quo non tam gravor, quàm charum habeo; utpote, qui in intimis meis medullis ac visceribus hæres. quamobrem classem vitæ non adornabo variam, sed tu tibi unam ex multis delige, cui te tutò committas, ego autem fretus divino illo numine, quod Universitatem regit, ancoram solvam, velaque per turgida, tamquam merces, unà cum prora & puppe, te in speratum portum, conabor traducere.

CAPVT SECVNDVM.

Docet præsens tempus hortari, ut certum aliquod vitæ genus deligamus.

PRÆSENTIA æstuant, ac ideo maximopere ordinanda. nam dum corpus, tempore, quo vivit, fruitur (nihil enim id nisi præsens & quod ad est, movet) animus & præteritorum meminisse, & futura providere debet, necesse est inservire tempori, in quo sumus; at nisi honestum vitæ finem, quod imprimis est utile, quæsiverimus, mille nos miseros dolores excipiet. Omnia quidem hîc tuta putamus, & quod placet, utile credimus, more iuventutis stolidæ, ac vulgi, multo omniũ stultissimi. Verum humanæ vitæ regio, cõsuevit amæno aditu fallere, quã nisi peragremus vigilantes, ignotis errabimus in locis. Et qui tempori nimis, in quo est, indulget, nec secum perpẽdit, in quæ mala nos casus queat deducere, nec cõmutationes rerũ timet, veluti infans est, qui manum in ignem imprudens

 extendit,

extendit,& non nisi læsus, vires ignis intelligit, Talis videlicet fortunæ potestatem sui facit. Igitur semper de illa cogitare, nihil tibi de ejus fide promittere, sed ad tranquillitatem vitæ, inquirere præterita, & providere futura decet, ac sequi semper ea, quæ, pro natura, honestissima atq; utilissima videbuntur.

CAPVT TERTIVM.

Docet cur adeo multi in certo vitæ genere deligendo hallucinentur. item ut considerate genus vitæ aliquod deligamus; duabus in rebus maxime constare; præteritorum memoriâ, que nos ad maiorum consilia provocat, & futurorum providentiâ.

VERùm quod ab eo, quod propositum est, multi sæpè aberrarint, & hodiè adhuc nonnullos aberrare videmus, infirma est adolescentiæ ætas, quæ tam grave consilii pondus non sustinet, nec seipsam satis novit, nec quid quaq; in re positum sit videt: quum præsertim se ad id quod adest, quodq; presens est accommodet, nulla collocata mente in præteriti temporis spatio, & providentiâ futurorum, quæ profectò, in vitæ genere deligendo, duo præcipua, ac prima sunt capita. Etenim deliberans, quem potissimum vitæ ordinem se pro naturâ sequi decet, non ex alia re melius, quàm ex his duobus cognoscet. Nam si in vitæ genere considerate deligendo, Cicero, nobis liberum arbitrium admittit, ac nostræ non vitiosæ naturæ genus, vult, ut ad maiorum consilia nos conferamus; præsertim cùm celerrimè præsentia hîc evanescant, & nullus, an hæc sint subsequutura tempora, satis exploratum habet; quamquam etiam nostra consilia, in futu-

dem.

dem.

De orato-

;.

in futurum, imo sempiternum tempus spectare debent; necesse est revocare animos nostros, ad præteriti temporis memoriam. Hoc, si fiet, id quod vitæ genus delegimus, recte esse susceptum pro cujusq; natura, an non; felix sit, an infaustum, apparebit. Nemo ex præsenti rerum statu, vitæ genus simpliciter inire debet; primum, quia uno in momento sæpe fortuna hic omnia mutat. Dein etiam ex propria natura, quod præsens est admirabili quodam modo labitur, quod lapsum, prætervectũ, ac ideo etiam nihil est, nec umquam revertitur; nec quid sequetur, sciri a quoquam potest. Iam ut in præsenti, verum quiddam non inest, nisi impendẽs quod eventurum est tempus, id comprobet; ita; solum in præterito, certi quiddam inest, quia quod præteritum est, judicamus; verum id fuerit an falsum, rectum an pravum; honestum an turpe. Cum deliberas, ait, Isocrates, è præteritis exempla pete rerum futurarum; nam quæ obscura sunt, è manifestis faciliùs judicantur. Igitur quæ in memoria constant, petenda consilia maiorum, ut ad suam quisq; naturam ea sequatur. Cæterũ, quamquam sæpè ne utile quidem est scire, quod futurum; miserum tamen est, quum consilium sit aliquid faciendi aut non faciendi excogitata ratio, consilij alicujus sui judicium esse, sine ulla cura futurorum.

In parænesi ad Demonicum.

Cic. de natura Deor.

De Inventio.

CAPVT QVARTVM.

Pro natura quod suadet Cicero, vt se quisq; gerat, in genere vitæ deligendo, id quomodo intelligendum, & quid sit, tum spatio ad deliberandum esse opus, & alteriusq; exquirendum consilium, exponit.

PRO natura nihil aliud est, quam ut quo quisq; animo, & ad quid sit affectus, jubet Cicero, sic ad vitæ aliquod genus proficisci, ut optimè secundum animum constituisse videamur; ut nihil sit, quod errorem adferat. Nam cavendum imprimis, ne te falsa ulla opinio inficiat, aut aliò quàm par est flectat, si vitæ aliquod genus, ritè sectaberis. At iuxta Delphicam inscriptionē, nosce te ipsum, id est, animi proprii & corporis habeto cognitionem. quæ si non accendet, rues in tenebris, cæcisq; nubibus & procellis: atque antea implicaberis certo aliquo genere vivendi, quàm potuisti, ad quod natus & aptus es judicare. Nam ut ad omnia confert cognitio sui, ita, quod sequi necesse est, quibus est ignorantia sui, fit sæpenumero, ut infeliciter vitam permutare cogantur: certè qui se non ante metientes, vitæ aliquod genus amplectuntur, rudes ac tanquam catuli, novum quendam eiecti in orbem, putidè in eo versantur. Sed ut quis se cognoscat necesse est, & exempla inquirat majorum, ad quæ, ut dixi, & se, & naturam suam examinet. præsertim æstimandæ vires cum rebus quas aggredi conaberis. necesse est enim, veluti inquit Seneca, ut opprimant onera quæ ferente majora sunt. quò magis id cavendum, quod ferè a natura, plus nobis videmur posse, quàm revera possumus, dum contra debeat semper plus esse virium in actore, quàm in pondere. inclinādum maximè eò, quò te natura & vis ingenii flectat, ut Socratem legimus apud eundem, Euphorum iniecta manu à foro subduxisse, quod utiliorem eum cōponendis monumentis historiarum existimaret. sic quæ cuiq; vita apta erit obveniet. sed qua in re tempore

[margin: ... codē. | De ... anq. ... | ...neca.]

A

pore

pore opus erit: est enim contraria consilio festinatio. Neque etiam repente aliquis ad summam scientiam, nedum compositam, beneq; constitutam vitæ rationem pervenit. Considerata sæpenumero tarditas, ut hostibus suis propugnaculum opponit, ita quæ citò & sine mora decernuntur, ferè in nervum erumpere solent. nescis, fili, nescis, hac in re præcipitatum consilium quantam humanarum rerum pestem gignat: contra levatur omnis cura, cùm consistit consilium in judicio, lætusque eventus sequitur. Id adjũgam, quod appositum est, ut ex eodem cognoscas, dum statuo deliberandi spatium, quàm longum esse debeat. spatium autem deliberandi concedo a pueritia, usque ad vigesimũ octavum ætatis annum, quando in homine limatum illud intelligensque ratione duce accrescit judicium. Quod si neque tum qualis eris, vel ex imperitia animi, vel philautiæ atra caligine & tenebris videbis, prudentioribus teipsum aperi, ut illorum te fulciat ratio. Ipsi Agamemnoni regi regum fuit honestum, aliquem in consiliis capiendis habere Nestorem. Difficile est, sæpe quod repetendum duco, seipsum nosse, at facile alterum judicare. par est autem, quum nullius artis difficilior, quam sui ipsius cognitio videatur, alterum ut quis consulat, quid sibi faciendum putet, si ipse semisomnis, hac in re, de qua dicimus, hærebit. Neque etiam tum, aut fervida efferatum bile pectus, aut furor esse in te debebit, si qui consulit, amore ductus, alia præterquam statuisti, voluerit suadere. Talis animi impotentia si te inflammabit, omninò in lubrico versaberis, tamquam incitata semel in proclive labuntur. Dignissimam, arbitror Ciceronis

Dissimil

Sunt verba Cic. ad Atticum.

ronis de hac re ſententiam, cujus aures clauſæ veritati ſunt ut ab amico verum audire nequeat, hujus ſalutem deſperandam eſſe. Nam in conſilio capiundo, quum neque tibi prudentia erit, quæ ad aptum genus vitæ ducat, neque conſultoribus parere voles, nullum erit genus, quod aut ſequi aut relinquere erit integrum; ſed ut aves quaquaverſum vagantes, nuſquam eris, nec ullo in genere vitæ, dum natura nō gignat ſingula ad plures vſus; ſed unumquodque ad ſuum peculiarem. quamobrem ante omnia naturæ tuę propenſionem & aliis aperire, & noſſe, ac ſequi debebis, quod ab eadem non erit alienum, quò melius rati officiorum ordines ſequantur, per quos honeſtè & beatè licebit vivere, & tibi atq; Republicæ prodeſſe.

uſquan i ubiq; t. neca.

Triſt.lib. Lit.10. rlib.Me ph.2.

CAPUT QUINTUM.

Exquirenti alterius conſilium, cautione opus eſſe, & quem præſertim conſultorem convenit cupere.

IDONEUS autem, de cujus ſententia conſilium capies, erit, prudens, & ætate gravis; ad quam ille longo ordine ſtudiorum, intentoque pervenit: qui tibi amicus, qui adulando non fallit: ſed cujus conſilium, ab optima fide, & optimo animo, ſemper videbitur eſſe profectum. Ejuſmodi, quid aſſequi velis, & cui te petiſſimum vitæ credere, & ore, & aperto pectore eſt fatendum, ut ille judicare queat ſermones ſe conſulentis, atque omnes metuens expēdere caſus: Sunt qui non veritati cauſæ, ſed ad affectum conſulentibus reſpondent, quorū perniciosſum genus facilè videbis, ſi tu te ipſum intus conſiderabis, & non qualis ſis, illis credas. Tales me hercle, procul amovendi, ac ne audiendi quidē ſunt,

ſunt, quod principia dant jucunda, quæ exitus adferunt amatiſſimos. Et minimè quoq; credendum eſt his, qui aliud in fronte, quam mente gerunt, qui ex conſilio dando, commoda parva aut mediocria captant, & vitæ non ſunt benè conſtitutæ, ſuaſque res ipſi malè adminiſtrarunt. Supra te eſſe decet, cui te committas. Nam qui ſuum malè geſſit, quomodo procurabit alienum: an vero nobis talem conſultorem quæremus, qui ſibi non eſt utilis? Aut nobis vacare credemus, qui non vacat ſibi? Similiter ut diximus illius conſiliis parere quis volet, qui non conſulentem ſe, ſed res ejus diligit? Turpe ſit homini præſertim libero ac ingenuo, conſultoris nullum habere delectum, & aſſentatoribus patefacere aures, dũ ſe adulari ſinunt; quando adeo frequentes adſint; & parentes, ita naturaliter erga ſuos affecti, ut optime iis velint, & pietate tot propinquitatem colentes, vivendique præceptores celebres, quorum fideliſſimis atque amantiſſimis conſiliis ſemper uti poterimus, & frui.

Ambroſ: lib. de officiis.

Iſocrates in parraneſi.

CAPVT SEXTVM.

Exempla ſummorum virorum narrat, ut ex eorum ſimilitudine ſe ad conſilium majorum revocet.

HÆc autem ratio erit in mente tua confirmata & perfecta,[1] ut quam multi ſe pro natura gerant, per exempla aliquot conſiderabis. imprimis, parentum ferè natura penitus inſidet in liberis; imaginibus animi & corporis paterni. id adeò verum eſt, ut quicquam adhuc non invenerim firmius, rectèq; ſcripſiſſe Poæta videatur.

Fortes creantur fortibus: & bonis
Eſt in juvencis, eſt in equis patrum

Virtus: nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.

Sic Hector durissimus omnibus Troanorum in periculis, Deos orans, sperabat, Astyanacta filium, Ilio egregiè imperaturum, ut aliquando quis diceret, en patre hic multo præstantior. Gaudebat enim quod illum genuisset, & semen virtutis sparsisset. Sic, ut est apud Sophoclem in Philoctete, patre Achille satus Neoptolemus, stimulatus doli conscientia, ad naturam patris redit, ac Philoctetæ arcum restituit, vel reluctante Vlysse, qui si non tenendam sibi esse viam, quam natura præscribebat judicasset, arcum haud reddidisset. Porrò causam ut cum brevitate prosequar, quamquam occultæ hominum voluntates, multiplicesq; naturæ; plerumque tamen natura parentum, ut dixi, liberis fundamentum semenque vel virtutis, vel vitiorũ struit. Quod si quis inglorios habuerit parentes, ille tum maximè aliud quoddam vitæ institutum sequatur: ut tanto superior vivat in gloria, quanto illis animus erat abjectior; & qui illum introspicient, experiundo intelligant, ex improbo patre, & probum Filium nasci: Patris enim vitiosa illustrat vitam filii bene constitutam. Solent enim pleriq; non ita commendare & venerari laudatis patribus natos, ut eos, qui patrum sævitiam & immanitatem nulla ex parte imitantur. At si singulari quadam virtute præditi contingant, vel qui contemnendi non videantur, imitatione illorum exæquanda virtus. quod si nõ potuerit, quia tanta, natura duce saltem eam deamabit. Etenim non respondere virtuti majorum, vel in degenere nefas atquè improbum est. Ergo

[Margin notes:] *Homerus Iliad. 3.* — *Sophocles Tragædus* — *Id Atticum.* — *Isocr. ad Demonic.* — *Pro Rabir.*

eſt. Ergo proprium munus eſt liberorum, intelligere parentum naturam, quorum opera ſunt facti, in ipſis conditam abditeq; latere. quæ res magnum habet momentum ad certum vitæ genus deligendum: mox enim ſuam, ex illorum, naturam metiẽtes; ac invenientes, parem omnino in ſe atque in illis eſſe, unius quoque artis & vitæ ſocios ſe conſtituent, nullamque delabentur in difficultatem. Nam ſi non leves parentes, ſed boni ac induſtrii in vita exſtiterunt, quî non valebunt in vita pari, qui valent in natura, quæ par eſt. neque etiam ulli vita malè cedere poteſt, cujus uſum eſſe bonum parentes docuerunt, omnino ſi qua regula, nulla ad hanc rem compendioſior, quum videamus infinitos in eo ſtudio verſari, in quo norunt parentes conſenuiſſe, quorum animos, quam cum illis parem gerunt, natura, ceu cohortatione ad id commovet. Ita ferè filius agricola, patre agricola; faber fabro, poëta poëta, oratore orator, philoſophus philoſopho naſcitur. juxta illud Odiſſea 8.

Ὄγχνη ἐπ' ὄγχνῃ γηράσκει, μῆλον δ' ἐπὶ μήλῳ,
Αὐτὰρ ἐπὶ σταφυλῇ σταφυλὴ, σῦκον δ' ἐπὶ σύκῳ.

hoc eſt ſequi conſilia majorum, ac parem iis eſſe.

CAPVT SEPTIMVM.

Objectiones nonnullas refellit, ac priora concludit.

QVAMQVAM autem, ut Ciceronis verba
ſequar, in deliberatione, præter ea, quæ diximus, 1.
multa occurrant; pleroſque aut parentum 2.
præceptis imbutos, ad eorum conſuetudinem, 3.
moremque deduci: alios multitudinis ferri judi- 4.
cio, quæ

„ cio, quæq; majori parti pulcherrima videntur, ea
„ maximè exoptare : nonnullos etiam, felicitate
„ quadam rectam sequi vitæ viam: at illud, maximè
„ tarum genus esse eorum, qui aut excellentis in-
„ genii magnitudine, aut præclara eruditione, aut
„ utraque re ornati, sibi spatium deliberandi sta-
„ tuunt. Ad hanc tamen rem, maximam natura
atura rationem habet. vivendi enim optima est dux,
is. ac benè cuique vitæ suæ ordinem struit, & prodit
se semper, consiliisque omnibus, quasi summo ju-
ipio A- re derogat. Nulla enim potestas Scipionem Afri-
rican. canum majorem terrere poterat, quin causas in
Nero. judicio defensitaret, & populum concionibus tene-
ret, bellaque gereret; ut nec Neronis pravi rabiem
vertere. Dat enim cuique natura quod convenit;
cui propria ea vis inest, ut & animum & corpus
oëtius de nostrum moderetur, cujus tantam videmus dili-
nf. Phil. gentiam, ut cuncta semine multiplicato propagen-
b.2. tur. Et ut Seneca docet, difficile est mutare naturã:
ib. de ira itaque, tenenda est via; quam natura præscripsit.
Nam neque parentum præcepta, moresq; eorum
sæpè absurdi: neque multitudinis ferè errantis ju-
dicium: aut fortuna quælibet, nunquam stabilis:
aut excellentia ingenii, & præclara eruditio fre-
Cic. de quenter hallucinans, certum vitæ institutum ho-
atur- minibus præscribere potest; quia nulla ars imitari,
Deor. solertiam naturæ potest. Omnis enim natura arti-
b.2. ficiosa est, ac ita se exerit, vt Minervam ejus semper
sequi debeamus. Sæpius ad laudem atq; virtutem
ro Ar- naturam sine doctrina, quàm sine natura valuisse
hia Poe- doctrinam, scribit Cicero. De objectionibus multa
a. forent commemoranda, calamo percurrat ea qui
volet; at nos materiæ nostræ hunc finem & termi-
num